



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)



LECTORI

HISTORIAE de rebus gestis Gregorij VII. visum est adiungere hunc de Herluca Virgine commentariolum. I. Quia & illius & huius idem Auctor est, nempe Paulus Bernriedensis: Et quia scriptio illa sua tam bene de Gregorio VII. meritus est; meretur utique, ut & hac eius lucubratiuncula diutius in tenebris non deliteat, quæ & priori aliquid lucis accendit, cum alias ob causas; tum quia disertius aperit, quis qualisque Paulus Bernriedensis fuerit; quanta à schismaticis tulerit; quando vixerit; Et quomodo Ratisbona cedere debuerit propter Henrici V. persecutionem. Quid, quod nonnulla quoque complectitur, quæ Boicæ Historiæ illustranda non parum cōducant? Sepulta est Herluca in Monasterio Bernriedensi ad lacum U Vormbsee,

V 3 ut

ut testatur Hundius de *Monasteriis Bavarie* ex libro 5. *Annalium Auentini*.

Partem huius vitæ, potissimum, quæ ad S. *VVickterpum* pertinent; euulgauit iam in *Commentario de S. VVickterpo*, Episcopo *Augustano*, Reuerendus & *Ecclesiastica antiquitatis* perquam studiosus Pater *Carolus Stengelius* Ord. *D. Benedicti ad SS. Vdalricum & Afram Augustæ Vindelicorum*: cuius beneficio, (ut & admodum Reuerendi Patris ac Domini *Gregorij* in eodem *Monasterio Prioris dignissimi*) integrum huius vitæ exemplar adeptus sum; sit amen ipsa *Historia* integra est; nam cum nihil de excessu *Herluca* dicat; alterutrum suspicari subit; aut *Paulum* cæptæ *Relationi* alia de caussa extremam manum non addidisse, & vel certò consilio vel necessitate compulsus in hac *scriptione* progredi noluisse; aut certè progressum, sed nobis ob imperfectum exemplar id non constare. Nam quod quis cogitet, *Paulum* ante *Herluca* factum, id nihil est; nam in *Proœmio* expressè dicit; se vitam *Herluca* literis mandasse tertio post eius obitum anno.

Por-

Porro de *Heptatico*, seu *Eptatico* ita *Theodorus* in *Vita S. Magni* cap. 26. Venerunt quippe ambo ad locum, qui dicitur *Eptaticus*; reppereruntque ibi supra dictum *Episcopum* (*VVicterpum*) in oraculo suo sedentem & orantem, & c. nam *S. VVicterpus* *Eptatici secessu mirum in modum recreabatur*. *Ibid.* Adhæc iterum dixit *Episcopus*. Bene vocatur iste locus *Eptaticus*, quia in medio constat inter *Monasterium S. Afræ*, & cellam tuam. *Erat ergo Eptaticus locus medius inter Fauces*, (*Hodie Süßen oppidum*) & inter *Augustam*, seu *Monasterium S. Afræ*, quod est *Augusta*: de quo proximis diebus hæc ad me scripsit supra nominatus *Carolus Stengelius*. Diu inuestigavi, num adhuc locus ille, *Eptaticus*, in *vita S. Magni*, & *B. Herluçæ* vocatus, extaret, pagum ipsum nunc *Eppach* dici inueni. De *Ecclesia* non ita constabat. Inquisierunt eundem locum (cùm in *vita S. VVicterpi* legissent) eximij quidam viri, illac fortè transeuntes, sed nihil huius tituli se inuenisse testati sunt. Incidi tandem in hominem rusticum,

num,

num, quem diligentius examinans, num quid Ecclesiarum sub titulo Beatæ MARIÆ Virginis, & S. Laurentij extaret? Respondit: In pago Eppach nullam quidem Ecclesiam huius tituli extare, cum duas tamen habeant; itinere verò vnius horæ, nō longè à Lyco flumine, loco omninò solitario & inculto, superesse paruum omninò sacellum huius tituli. Quo responso omninò in eam deueni sententiam, vt mihi persuaderi paterer, hanc ipsam esse Ecclesiam, qua delectatum B. V. Victorpum legimus; vbi & postea Herluca vitam egerit. *Hæc ille.*



INCI-